

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Elemosina h
cum fonte primo

Dicit tibi Christus: Da michi ex eo quod dedi tibi.

De meo quero: Da et reddo.

Habuisti me largitorem; fac me debitorem; habeam te feneratorem.

Temporalia michi das; eterna tibi restituam.

Te ipsum tibi reddam quando te michi reddidero.

Augustinus ibidem (de uerbis Domini sermone XXV.).

Et tamen Christus dicit tibi: Da mihi ex eo quod dedi tibi.

Quid enim attulisti, quando huc venisti?

Omnia quae creavi, creatus hic invenisti:

nihil attulisti, nihil hinc tolles. De meo mihi quare non donas?

Quia tu plenus es, et pauper inanis est.

Primordia vestra attendite: ambo nudi nati estis.

Et tu ergo nudus natus es.

Multa hic invenisti: numquid tecum aliquid attulisti?

De meo quaero: da, et reddo.

Habuisti me largitorem, fac cito debitorem.

Parum est quod dixi,

Habuisti me largitorem, fac me debitorem: habeam te feneratorem.

Pauca mihi das, plura reddam. Terrena mihi das, coelestia reddam.

Temporalia mihi das, aeterna restituam.

Te ipsum tibi reddam, quando te mihi reddidero.

Augustinus Hipponensis, *Sermones*, 123.5 (PL 38, col.686).